

P V I S

1 6 1 8





- I. Philastrii Catalogus Hæresium.
- II. D. Honorii de Hæresibus.
- III. D. Bugenzæii distributio Methodica Historiæ passionis Christi.
- IV. D. Garzæi Tractatus Concionum Penitentiarum.
- V. D. Garzæi Delineatio Concionum Penitentiarum.
- VI. Basilii Magni Oratio ad Adolescentes.
- VII. Intimatio Fubilici Evangelici.
- VIII. Theologorum Saxoniarum Epistola Invitatoria ad universos Theologos.
- IX. D. Bergii Prælectionis Francofurtensis Disputationis Theologicæ.
- X. M. Sachsii Disquisitio adversus Meijnerum.
- XI. Montani Virga in Bermanum et Ungermannum.
- XII. D. Pelargi Responsum ad Epistolam Schlusenburgii et Cramerii.
- XIII. D. Pelargi Responsoria ad Apostolica duo brevvia Schlusenburgii et Cramerii.
- XIV. Golemi Disputatio de Abstracto et Concreto.
- XV. Pelargi Disputatio de Assumptione Christi.
- XVI. M. Wolgangi Theses de Justitia et Justificatione.
- XVII. D. Füsseli Disputatio de Deo.
- XVIII. M. Theopoldi Disputatio ex Dialocho Theodoret. Secundo.
- XIX. de Deo.
- XX. de Peccato.
- XXI. de tria in Conversione Homini Concurrentia.
- XXII. de Justificatione.
- XXIII. de Bonis Operibus.
- XXIV. de Ecclesia.

Maa 15.





XXI.

23



PROPOSITIONES

EX QUINTO EXAMINIS THEOLOGICI MELANCHTHONIANI LOCO, QUI EST

DE

IUSTIFICATIONE,

DE PROMPTA, ILLUSTRATA,

& AD PIAM AC PLACIDAM συζήτησιν  
PROPOSITA, SERVESTÆ,

PRÆSIDE

M. JOHANNI THEOPOLDO,

ILLUSTRIS GYMNASII THEOLOGICO  
PROFESSORE & INSPECTORE,

RESPONDENTE

JACOBO QUATIO SERVESTANO.

d. XI X. Martii, hora VIII. matutina. &c.

SERVESTÆ, typis Zachariæ Dörfferi,  
ANNO CHRISTI MDCXIII.











PROPOSITIONES  
EX  
L O C O

De  
JUSTIFICATIONE.

I.



U M ex loco præcedenti (*de Libero Arbitrio*) manifestum sit, homines non posse propriis viribus satisfacere legi Dei, ideoq; nec ex se, aut per se, coram Deo justificari: concinnâ methodo, hoc Quinto loco (*de justificatione*) ostenditur, quâ ratione assequamur peccatorum remissionem, & quomodo justificemur coram Deo, seu, quid sit Justificatio hominis peccatoris coram Deo.

II.

Antequam verò ad definitionem Justificationis accedamus, considerandum est, quid hæc vocabula significant: Justitia, Gratia, Fides.

III.

Ad vocabulum igitur Justitiæ quod attinet, observandum est, illud accipi in scriptura vel Legaliter vel Evangelicè.

A 2

IV. Le.



IV.

Legaliter accepta vox Justitiæ trifariam usurpatur.

V.

Primum enim Justitia legis, aut est externorum membrorum, & dicitur disciplina externa, seu gubernatio locomotivæ: Item, Justitia Pharisæica, Philosophica, rationis, carnis, folium fici, litera &c. quæ potest esse etiam in non renatis & ethnicis.

VI.

Aut est integrâ conformitas cum lege DEI, qualis fuit in naturâ hominum adhuc integrâ, & fuisset deinceps, si primi parentes lapsi non essent, & qualis rursus futura est in vita æterna.

VII.

Aut deniq; est studium bonorum operum, seu novitas, sive nova obedientia, in renatis, in hac vita, placens DEO propter Mediatorem, licet imperfecta sit & languida.

VIII.

Quamquam verò diligentia illa rationis in regendâ disciplinâ externâ (*de quâ Thesi quinta dictum est*) non meretur remissionem peccatorum, nec est Justitia coram DEO, nec est impletio legis: tamen severissimè præcipit DEUS, ut hanc disciplinam præstemus: & in hac mortali vita punit atrocibus pœnis atrocem violentiam disciplinæ, &, nisi fiat conversio ad DEUM, punit eam etiam æternis pœnis.

IX.

Sciamus igitur, Quatuor esse causas, propter  
quas





quas omnes homines, etiam non renati, debeant  
præstare disciplinam.

1. Est Mandatum DEI: quia omnes creaturæ  
rationales DEO obedientiam debent.

2. Necessitas vitandi atroces pœnas, quas lex  
violatoribus minatur.

3. Necessitas non turbandi alios: quia homo  
non vivit sibi tantum, sed etiam, ut adjuvet com-  
munem consociationem, juxta dictum: Diligas  
proximum tuum, sicut teipsum. *Levit. 19. v. 18. Luc.*  
*10. v. 27. Matth. 22. v. 39.*

4. Ut disciplina sit pædagogia in Christum;  
hoc est: quia DEUS non est efficax in his, qui sci-  
entes perseverant in sceleribus contra conscien-  
tiam.

X.

Ut verò tres priores causæ præstandæ discipli-  
næ ad omnes homines in genere pertinent, etiam  
ad eos, qui nunquam fiunt cives Ecclesiæ: ita po-  
strema, seu Quarta, civium Ecclesiæ, seu electo-  
rum, est propria.

XI.

Porrò, Evangelicè accepta Justitia (*qua & fidei  
justitia dicitur*) est impletio legis, non à nobis, sed  
ab alio, pro nobis, præstita, nempe obedientia  
Christi usq; ad mortem, mortem autem crucis, sive  
*λύτρον* illud, quod ipse pro nobis Justitiæ divinæ  
persolvit, & quod credentibus in ipsum gratis do-  
natur & imputatur à DEO. *Rom. 3. v. 24. Rom. 4. v. 5.*  
*Eph. 2. v. 8.*

XII.

A 3

XIII. Hæc





Hæc definitio occasionem nobis præbet expli-  
candi significationes vocum, Gratia & Fidei.

XIII.

Certissimum autem est, nomen Gratia in hac  
doctrinâ significare misericordiam DEI gratuitam,  
videlicet remissionem peccatorum & reconcilia-  
tionem, seu acceptationem gratuitam, quæ cum  
fide accipitur, simul Filius DEI vivificat corda, &  
per Euangelium dicit consolationem in corde, &  
accendit Spiritu Sancto tales motus, qualis est i-  
pse, qui designantur appellatione Doni per gra-  
tiam.

XIV.

Gratia igitur propriè hîc est ipsa gratuita acce-  
ptatio coram Deo, propter Filii meritum: Donum  
verò per gratiam, est vivificatio pendens ab effi-  
caciâ Filii, per operationem Spiritus Sancti.

XV.

Fides, in hac doctrinâ, non est nuda notitia hi-  
storix, sed est assentiri omni verbo DEI, nobis  
tradito, atq; ita promissioni gratia: & est fiducia  
acquiescens in DEO, propter Filium, accedens ad  
DEUM, & invocans eum, & clamans, Abba Pater:  
quæ sentitur in credentibus, & in veris pavori-  
bus affert consolationem & lætitiâ, juxta di-  
ctum: *Iustificati fide, pacem habemus, Rom. 5.*  
*vers. 1.*

XVI. Hæc



XVI.

Hæc est illa fides, quâ solâ coram DEO justificamur, seu justi pronunciamur.

XVII.

Nec pudet nos istius phrasæos, qua profitemur, nos *SOLA FIDE, gratis, absq; operibus, justificari*, & quidem propter sequentes gravissimas rationes, quarum

1. Sumitur à merito Filii DEI, ita argumentando: Quicquid solius Filii DEI merito tribuit causam nostræ cum DEO reconciliationis, id nequaquam rejici debet in doctrina de Justificatione hominis coram DEO. Particulæ illæ exclusivæ (ut vocantur) tribuunt merito solius Filii DEI causam nostræ cum DEO reconciliationis.

Ergo particulæ illæ nequaquam rejiciendæ in hac doctrinâ, sed meritò retinendæ sunt.

2. Petitur à consolatione conscientia, quæ non potest acquiescere in fiducia nostrorum operum seu meritorum, idcirco hæc, in actu Justificationis, per particulas illas est excludenda.

3. Tertia profluit à distinctione legis & Evangelii: quia hæ particulæ præcipuè discernunt Legem & Evangelium. Illa enim, non gratis, sed propter perfectam obedientiam, legi debitam, promittit temporalia & æterna præmia: hoc vero gratis, propter Mediatorem, remissionem peccatorum, Justitiam & vitam æternam, credentibus offert.

4. Quar-





4. Quarta & postrema ducitur ab Invocationis nostræ certitudine: id quod sic probatur:

Quicquid tollit Invocationis piorum impedimenta (inter quæ præcipuum est Tentatio nostræ Indignitatis) id meritò in Ecclesia retinetur:

Particulæ exclusivæ tollunt illud impedimentum, quando causam Justificationis nostræ coram DEO, à dignitate nostrorum operum, ad Christi meritum, transferunt.

Ergo meritò in Ecclesia retinentur.

### XVIII.

Ex dictis apparet, quòd Justificatio hominis peccatoris, resipiscentis, coram DEO sit acceptio remissionis peccatorum & reconciliationis, seu acceptationis gratuitæ, propter Filium DEI, quæ cum fide accipitur, verissimum est, simul Filium DEI corda vivificare, dicere consolationem in cordibus per Euangelium, & Spiritu Sancto accendere tales motus, qualis est ipse, juxta dictum: Dabo legem meam in corda eorum, *Jerem. 31. vers. 33.*

### XIX.

Hæc est vera & simplex sententia doctrinæ loci de Justificatione, quam sincerè tenentes abominamur Pharisæorum, Pelagianorum, Pontificiorumq; deliramenta de Justitia operum nostrorum, ut & de Gratia congrui & condigni, itemq; de fide formata per caritatem, quæ sunt mera blasphemiam in Filium DEI, cuiusq; meritum, qui solus tor-  
cular





cular calcavit, & qui solus est agnus ille DEI, tol-  
lens peccata mundi. *Esa. 63. vers. 3. Ioh. 1. vers. 29.*  
quique in cruce, jam jam animam exhalaturus,  
altâ ac sonorâ voce exclamavit: Consummatum  
est.

XX.

Rejicimus quoq; Osiandri opinionem, pro ef-  
fectu causam nominantis, & Justitiam nostram  
coram DEO contendentis, esse Justitiam DEI  
essentialem, seu DEUM ipsum, inhabitantem in  
nobis, atque impellentem nos, ut justa faciamus:  
quod nihil aliud est, quàm sanctificationem cum  
justificatione confundere, cum illa ab hac, ut ef-  
fectus à causa, accuratè sit discernenda.

XXI.

Deniq; definitionem Justitiæ, à Clemente A-  
lexandrino traditam (*δικαιοσύνη ἐστὶ κοινωνία θεῶν μετὰ  
ἰσότητος*) non admittimus pro definitione Justitiæ  
Euangelicæ, sed pro qualicunq; descriptione Ju-  
stitiæ legalis.

XXII.

Primum enim nullam facit mentionem Me-  
diatoris, & omittit prorsus id, quod præcedere  
*κοινωνίαν θεῶν* necesse est, videlicet, remissionem pec-  
catorum & reconciliationem propter Christum,  
Filiū DEI, Mediatorem & propitiatorem nostrum.

B

XXIII. De-





## XXIII.

Deinde, omiſſâ doctrinâ de Fide, verâq; conſolatione, fingit ſocietatem divinæ naturæ, velut il-  
labentem quandam ideam Platoniam, additâ  
ἰσοτήτῃ & particulâ, quæ complectitur externam atq;  
civilem conſociationem.

## XXIV.

Deniq; fanaticis hominibus, Enthufiaſtis &  
Schwenckfeldianis, anſam præbuit jaçtandi ſingu-  
laria colloquia & commercia cum DEO, damnan-  
di ordinem politicum, & diſtrahendi conjugia, ſub  
hoc prætextu, quòd, cùm Juſtitia ſit ſocietas, quâ  
DEUS ſe nobis communicet, expectandi ſint ra-  
ptus violenti, qui ſint testimonia communican-  
tis ſe nobis DEI.

F I N I S.

LUTHERUS IN  
Genesin.

**H**IC ſummus fidei articulus eſt, quem ſi vel  
tollas, ut Judæi, vel depraves, ſicut Papiſtæ,  
neq; Eccleſia ſubſiſtere poteſt, neq; DEUS  
retinere poteſt ſuam gloriam, quæ eſt, quòd ſit mi-  
ſericors



sericors, & quòd propter Filium condonare peccata, ac salvare velit.

Idem super cap. 3. ad Galat.

LOCUS JUSTIFICATIONIS diligenter discendus est: In eo enim comprehenduntur omnes alii Fidei nostræ articuli, eòq; salvo, salvi sunt & reliqui.

*D. Christoph. Pezelius In Exam.*

*PHILIP. MELANCHTHON. &c*

*l. de Justificatione.*

PRINCEPS GEORGIUS ANHALTINUS, administrator Episcopatus Mersburgensis, educatus in Papatu, legens articulum de Justificatione, sicut in Confessione Augustanâ explicatur, confessus est, se evidentiâ hujus articuli convinci, ut ne posset odio habere eos, à quibus hactenus dissensisset. Atq; hæc prima fuerunt initia, quibus ad veram lucem Euangelii adductus est.

δόξα τῷ Θεῷ.





sancti & quod proprie illi condonare peccata  
et se salvare vestre.

Insuper cap. 1. ad Galat.

Locum IUSTITIAE TIONIS diligenter discenda  
dicitur: in eo enim comprehenduntur omnes illi  
Theologiae antiquae codices, sicut in & testi-

D. Christoph. Beckius in Epistolam  
ad Galatas commentarius

PRINCIPES GEORGII AMALIAE  
in Epistolam ad Galatas  
in qua de justificatione  
et de libertate hominis  
et de peccato et de gratia  
et de fide et de caritate  
et de aliis rebus  
quibus ad veram  
libertatem adducit.

1671

(1671)





Jh 4245




X 22 MA 38

VD 17 AC











23



ITIONES

inis Theologici ME-  
ANI Loco, qui est

FICA-

ONE,  
illustratæ,

lacidam συζήτησιν  
SERVESTÆ,  
sive

THEOPOLDO,  
YMNASII THEO-  
pore & Inspectore,

ndente  
IO SERVESTANO.

vâ VIII. matutinâ. &c.

is Zachariæ Dörfferi,  
TI MDCXIII.

